

mum sibi duxerunt in id elaborare, ut ex hominum saltem consortio tolleretur, necandumque præsumserunt, a) non sane cogitantes vel plane nescientes, MORTE peragendum esse redemptionis opus, quod sane ex sacrificiorum typis itemque ex variis prophetiis nosse potuissent. Fusius hanc in rem Origenes, a) disserit: *Alius dicit filium, à DEO TRADITUM principi seculi hujus caterisque principibus ejus. deinde ab istis traditum in manus hominum* (videtur plura loca combinare, Petri nempe *) *dicentis: Hunc consilio & præscientia DEI traditum sumsisistis per manus iniquorum, & Pauli †) agentis habitantes Hierosolymis & principes eorum hunc non noscentes petierunt à Pilato ut interimeretur*) *qui occiderunt eum. ut Jobi bona primum tradita in manus Diaboli, qui ea tradidit prædonibus. sic & eum tradidit princeps potestatis aëris qui operatur in filiis diffidentia in manus hominum, in quibus erat & Judas, in quem post panem ingressus est Satanus. Considera tamen, pergit, quoniam Pater tradens filium contrariis potestatibus non simpliciter tradidit eum, sed propter misericordiam suam, ut salvaret genus humanum. contraria autem potestates tradentes Dominum in manus hominum, non pro salute aliquorum tradiderunt eum, sed quantum ad se, quia nemo eorum sciebat sapientiam DEI absconditam in mysterio, tradiderunt eum, ut inimica ejus Mors subjiceret illum sibi, sicut omnes homines qui moriebantur in Adam. Sed & homines qui occiderunt illum, voluntatem habebant non sec. voluntatem DEI ordinatam, sed sec. voluntatem potestatum, qua filium DEI volebant fieri subditum morti. Verum sat cito tamen resciverunt dæmones veram operis redemptionis naturam. Si Origenem b) sequimur, Christo vix mortuo, RESURRECTIONEM ejus recordati sunt, & memoriæ pontificum ac scribarum suggesserunt Pilatum accedere & custodes expetere. quod tamen diaboli instinctu ipsos fecisse, mihi fateor persuadere non possum. Viderunt tamen mox dæmones cum sociis damnatis *) DESCENDENTEM ad inferos, non sane tanquam medicum in nosocomium, quod Origenes c) finxit, sed tanquam victorem terribilem captivantem captivitatem. experti sunt ipsum venisse †) ut dissolveret opera diaboli. resciverunt ipsum *) morte sua destruxisse eum, penes quem mortis robur, & liberasse quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servitatis. Co-*

*) Act. II,

23.

†) Act. XIII,

27.

*) Eph.

IV, 9. 8.

†) I Joh.

III, 8.

*) Ebr.

II, 14. 15.